NICOLAS BARTHELEMY CHRISTUS XYLONICUS (2178 vers)

Le texte proposé ici a été établi à partir de l'édition parue en 1531 chez Simon de Colines, à Paris, avec l'aide, pour certaines lectures problématiques, de celle de 1529, disponible à la B.N.F.

# NICOLAI BARPTHOLEMAEI LOCHIENSIS CHRISTUS XYLONICUS.

## PRIMUS ACTUS.

### CHRISTUS.

C1__1 Jam nox ruit caligine involvens polum,
et jam remotae mensae et exempta est fames
epulis, patrique dictus hymnus : ocius
surgite et eamus notum in hortum. In horto Adam
primum ausus est nefas, in horto par erit
illud piari iramque placari patris.
Sed interim, levemus ut dictis viam,
sunt quae moneri voce vos nostra velim.
Nunc, o amici, (jure amicos dixerim,
sed qui tamen meo mei estis munere,
quos sumpserim dignosque duxerim prior

queis crederem caelestium rerum fidem)
nunc, inquam, amici, idem quod ante latius
(nunc summa tantum sequar rerum fastigia)
sermone bene longo palam praediximus,
ad memoriam reducite et reponite
mente alta, ut illud quando erit, vobis prius
dictum volentes perferatis aequius.
Venit dies summa atque ineluctabilis,
meumque tempus instat ut luam haud meam
culpam ruinasque generis resarciam.
Venit tyrannus mundi, qui ante, nemine
quidem repugnante, facile orbem presserat
imperio ; in me movit, loco signa extulit.
Verum nil poterit, posse licet videbitur.
Quin virium vi deturbabitur foras
numinaque versa viresque alias sentiet
ejusque diripientur et gaza, et domus
ad hanc inaudito diem victoriae
genere, nimirum qua spolia victus leget,
victoque supplex victor herbam porriget.
Pugnamus ante signa, primi in proelia
audemus et munimus in caelum viam.
Vasta damus omnia et aditus vi rumpimus,
vobisque nostro regna parimus sanguine.
Nec jam me humus capit, jam Olympo postulor,
animam me adhuc crescentem oportet linquere,
parvo alioqui usui futuram. Nam velut
granum, nisi udo immaduerit prius solo,
humoque multa quasi occulatur mortuum,
infertile haud ullis gravescet fetibus.
Quod si illud apte fossum humi mandabitur,
miris modis inolescet ac spicam dabit,
quae voto vel avarissimi respondeat
agricolae : haud aliter me sepulchro condier
fas morte functum, et regna vivis invia
ire, aspicere, vincere certissimo omnium
mortalium compendio quo provehor
videns volensque. Jam jam sistar gentibus,
ac non secus quam vasta in solitudine
a Mose serpens amite sublatus fuit :
ipse exaltabor. At vos state interriti
nec vestri obliviscamini in discrimine.
Spectate finem ; tertio nam post die
radii prius quam solis orbi illuxerint,
videbitis reducem lucique redditum.
Vos vero quae me fata tangunt similia :
nullus magistro servus est praestantior,
nullos vobis quam mihi aequiores credite.
Injuriae omnes atque opprobria omnia
ob nomen unius meum vobis erunt
subeunda. Vos patres, matres, vos filii

hac persequentur gratia. Pellemini,
caedemini peteminique in vincula.
Periculo aut metu moveri absistite.
Solum hunc timete nutu Olympum qui suo
tremefacit et corpus animamque funere,
heu, nimis acerbo potest aeternum mergere.
Non hi, quorum ensis solum corpus hauserit,
vobis timori sint. Contra, ite audentius
virtutibus macti et ferendo vincite.
Pulcherrima (ut nil addat his pater) dabunt
vestrique mores mensque recti conscia.
Nec nulla erunt, nec metus, laborum hinc praemia.
Vos summo in axe longe linquentes notos,
nubilaque, propiores patris mei atrio
(unde humiles terras et ima subtus tartara,
nec non Olympi hoc omne stellantis jubar
sub pedibus, et cadentem et surgentem simul
diem vicesque temporum miremini)
laeti laborum bisseno insidebitis
solio ; atque bissenis, genus quae trahunt suum
ab Israele, tribubus velut jura dabitis,
votisque discetis hominum succurrere.
Spreti solo, caelo quidem emicabitis,
tristitia vobis vestra vertet gaudio ;
per varia cursus tenendus est discrimina
nec facilem in astra voluit esse pater viam,
qui posuit arduo ardua in cacumine,
acuique jussit pectora hominum laboribus,
verum quibus nil egeat, hinc tantum aucupans
remetiendi occasiones offici.
Quam vile corpus debet esse his, qui petunt
talia ? Quam nihil est hic adeo grave, ut leve,
(si fata fatis rependitis contraria)
non debeat videri ac ferri denique
ob consequendam illam beatitudinem,
animis inaestimabilem mortalium ?
Quae si videretur oculis, mirabili
exquireretur affectu, ut nihil magis.
Inite vetere cum colubro proelium,
qui nusquam non vobis insidit pervigil,
in tollentem iras et tumentem sibila
colla, ardentem oculis capite robora, capite
saxa et gyrantem dejicite ictibus, graves
timet fugantes, fugat timentes et premit.
Ecce medios vos, ut oves, educo in lupos,
quos longa caecos ventris rabies exigit.
Cauti este ut angues, ut columbae simplices
mitesque corde, fastus omnis sit procul.
Quis jam beatos esse plus satis neget,
qui spiritu ipso pauperes, nil ambiunt
frenosque cupiditatibus premunt suis

infraque cunctos se esse mortales putant ?
Non alta praedunt, quamquam et hoc alta prendere est,
quo celsa transmittunt poli fastigia.
Nonne et beatos jure praedicabimus
qui numquam acerbioribus animis desaeviunt,
numquamque dejiciuntur gradu constantiae ?
Quibus aliena non potest iniquitas
exuisse, quam semel induere modestiam,
quive his in umbris miseriam agnoscunt suam
suique judices futura lacrimis
supplicia deprecantur, fletuque redimunt.
Qui nec struunt, nec strui sinunt calumniam,
at cuncta jure et aequitate dirigi,
nullum ut cibum potumve avidius expetant,
pii pium experientur et facilem deum,
quique sceleribus animum omnibus mundaverint
aut arbitri discordiae intercesserint.
O quam beati judicandi, qui mea
aequique causa persecutores ferent,
quique patientur verba, simul et verbera,
jam digna factis respondebunt omnia,
vincentque poenas stata quondam praemia,
hujusce pugnae caelum honores asserit.
Redire sed juvat unde digressi sumus.
Quo fata vos trahunt retrahuntque, sequamini ;
durate, nec malis tot ingruentibus
cedite, patris regnum paratur viribus,
nec nisi feroces illud invadunt viri,
nec illuc impediti gressus inferunt,
alvumve qui latam trahunt, sed simplices,
nudi, atque longa obesi corpus inedia.
Proinde ne vos commeatu in crastinum
nec torre nec duabus onerate vestibus.
Calle itur angusto ad salutis atrium,
panduntur exitii ore vasto januae.
Ponite metum. Omnibus adeo praesens locis,
nec vos relinquam rerum egenos, pellite
curam hac, labor mecum iste erit, ne vos fames,
ne frigus urat. Pluris estis vos patri
quam caeli volucres, quas tamen large educat,
quamque alba agri, quae vestit apte, lilia.
Abjicite curarum onera, sic alacrius
quo sacra ducet, ibitis sapientia.
Jam prima caeli cura vos incesserit,
ut omne posthac militetur proelium
mercedis in spem talis atque gloriae,
palmam omnia hanc sequentur, et victoriam.
Vobis licebit esse victu facillimis.
Quam pauper est, qui, quod deest, semper expetit !
Quam dives est, qui nil quod ultra optet videt !
Beatior, cui sit nimis quod est satis.

Quicquid meo meum petetis nomine
apud patrem, nil haesitantes, protinus
vobis abundanter sufficiet omnia.
Quascumque vos subire continget domos,
primum salutem precemini incolentibus
pacemque ; quam si respuunt, ad vos, velut
sagitta missa in proximam cautem, redit ;
verum simul respuite eorum munera,
nil capite, quin excutite vel lutum hic pedum
si quod supersit, commigrantes ad alios,
quibus futura est vestra pax acceptior.
Captare mensas non nisi hic parabiles
decet, superstitione vel fastidio
nil rejectetis. Quae adparantur, sumite,
nec erubescatis. Estis digni munere
vel ampliore, aeterna qui pro terreis
reponitis, suum labori praemium est.
Videte in omnibus ut ipsi conviviis
(quibus adhibetur inops quam dives rectius
satiusque, cultus quippe divitum est gravis)
vobis locum occupetis semper ultimum
cui nullus invidebit accumbentium,
pudor superbum, humilem manebit gloria.
Attenta vobis vita sit semper, sine
qua facere, sed nec cogitare commode
nihil datur, mentis magistra totius.
Cavete ne ciborum repleamini
vinoque, quod clavo caret, obruamini.
Modum necessitate, non libidine
ventri gulaeque finientes improbae.
Supplicia singulis parantur singula
sceleribus. At gulam manent unam omnia,
nec tam diu est intemperans quam perit diu
corpore retentus, non secus quam carcere.
Si carnis impotentiam abstinentia
domabitis, cavete vultu prodere,
quin hilare perducatis unguento caput,
abluite vultum, nihilque non agere aliud
quam quod agitis tunc omnibus videamini.
Quae quis facit et omnia refert ad gloriam,
quid est quod hanc adeptus exigat amplius ?
Nec plectitur bis, nec reponitur deo.
Dum orabitis, ne multa complectamini
rumoris auras colligentes publici,
sed inscii domi, deusque qui omnia
audit satis videtque, dignus insuper
qui cum micetis nocte, vel caecissima,
vos clarius, quo secretius, exaudiet.
Vos ubi petenti nonnihil partimini,
(nulli autem eleaemosynam in vobis claudite,
seu dives ille, seu siet rerum indigus,

modo petat, artis misericordia inscia est)
quid dextra fecerit, sinistra nesciat.
Verumtamen non sic latentes, gloriam
spernatis, ut labamini in socordiam,
nil nisi clam audentes, at mediis in millibus
virtute mascula viros vos tollite,
claramque vestra lucem dent funalia,
vestrique lychni pendeant laquearibus,
ut qui subibunt luce vincente tenebras,
et cuncta lustrent et suos regant gradus,
lumenque mentis vestrae admirantes, deum
hujusce promum suspicient sapientiae.
Si forsitan vestris negabitur fides,
(ne me putate legem velle refigere,
cui vel corollarium magis veni addere)
dictis nefas in hoc vocare numina,
nec hic poli sidera, nec hic spirabile
testemini convexi lumen aetheris.
Satis superque sit dicere, quod res erit.
Nec facta dictis discrepent qui sciverit.
Qui docuerit nec fecerit, minimus erit
in maximo, quod imminet, regno dei ;
sciusque plures quam inscius poenas dabit.
Pro praestita quisque satagat pecunia.
Talenta ne defodite terrae credita.
Cui creditur magis, is obaeratur magis.
Vobis in aurem quae locutus sum, palam
omnia sub auras ferte, nec dignemini
(ne vos quam euangelio moram molimini)
quemquam salute transeuntes per viam.
Nec quid loquamini, anxie scrutemini,
cum verba erunt vobis habenda ad praesides
regesque : vobis suggerentur omnia
et imparatis larga crescet copia
mentemque et ora veris implebimini,
nec austros floribus, nec apros fontibus
immittite, nec ante immundos prosternite
margaritas prosubacturos pedibus sues :
nefas heu jam nefas est canibus objici
sacra haec ; sues vocamus hos qui sordidis
opibus atque adeo opum illecebris incubant
ibique mentem, ubi et suas habent opes.
Nec aliter hinc, quam e luto sues divellier
amant, quibus odio sit et formidini
Evangelica pauperies et frugalitas.
Porro canes, qui subodorantur omnia,
praedam hanc sequentes perpetim quam exciverint,
sunt rhetores, poetae et cetera id genus
gloriae animalia, qui studiis capti suis
illis inemoriuntur a vita magis
(ne jam prius fuisse in errore pateant)

quam opinione ab insita discesserint.
Qui, si his evangelica offeratur lenitas,
gustu inde facto, hanc nauseabundi exspuunt,
hanc invidi rodunt lacerantque mordicus,
in ipsam et ipsius assertores invehunt,
blandiuntur aliis, illos quo inde distrahant,
minantur aliis, illos quo inde terreant,
hujusmodi arcete procul a mysteriis,
doctrina quibus haec exitio cumulabitur.
Certamen inter vos honoris non siet,
major erit inter vos qui humilius se geret.
Jam vos moresque parvuli instar fingite.
Nulli dolum innectit puer, non invidet,
non detrahit, non laedit, et, si laeditur,
remittit oblivisciturque facillime.
Non pallet auri amore, non luxu calet :
petit necessa, quae supersunt negligit.
Ambire non novit nec ulli adularier,
aliena non rapit, sua exponit omnibus.
In astra qui cursum tenet, teneat simul
viam hanc necesse est, aliter aditu arcebitur.
Neu fugite, neu objicite caput periculis :
si vestis aufertur, date et vos pallium.
Si quis sinistrae impegerit manum genae,
porgite, nec exeatis ictum, dexteram ;
hosti nec ullum talionem reddite,
sed, solis instar, aequi este bonis ac malis.
Si quapiam re vos habet frater male
mentemque, vel dum parabitis sacrum, subit
discordiae, relinquite ad aras victimam,
ne qua in honore dei occurrat hostica facies,
nec iras sinite longius procedere :
ite, resarcite laesam benevolentiam,
donec fatiscens coeat arte gratia,
qua nullum sacrificium deo est acceptius.
Qui nec remittit vobis, nisi remittitis,
pondusque idem sperate quo alii penditis.
Quae quisque fecerit eadem exspectaverit.
Reddite velim vestris vicem parentibus.
Nulloque dignos non honore ducite.
Nudis togam, cibum famelicis date :
quod his datur munus, deo corraditur.
Furto manum abstinete, partem ponere
jussi omnibus, nec vestra passim lumina
conjicite : qui feris videndo pascitur,
moechatur intus et voluntas plectitur,
licet voluptas non sequatur ; cautio
adhibenda vobis maxima est, ne hujusmodi
irretiamini illecebris, feminae
superbia incendit, facilitas pellicit.
Poenam gravem levis voluptas irrogat,

ferro salacem messuere plurimi
virum, ac amore caeli amorem feminae
sprevere : libera, at grata deo est castitas.
Sunt continentiae premendi cingulo
lumbi, magis quam ulla secandi novacula,
non parvum habebit difficultas praemium,
pater gregis viros ab haedis seliget.
Claudite oculos, moneo, fenestras pectoris
mentisque januam, quibus cupido ea
invadit intro, quae nihil non occupat
optando, quam fruendo inexplebilis magis :
illis quidem lux aut tenebrae corpori
toti immittuntur, continentes si sient,
et continens erit corpus ; si perfluent,
et perfluet corpus cunctis obnoxium
late vagantis animi cupiditatibus.
Nec vestigate oculis quod reperisse est nefas.
Taedas jugales, cui uxor nupserit semel,
eaque superfit nescia alterius viri,
exstinguat nemo : nempe quas deus exciit
pugnantibus rerum undis immersabiles.
Sum vera vitis, estis et vos palmites.
Abscissus a nitente palmes stipite
arescit, ac nullum hinc dabit fructum. Haud secus
quam palmites, vos promovere me sine
credite : manete in me, ac ego in vobis ero.
Conatus omnis me sine est frustra, et labor.
Nec ullus umquam celsum Olympi verticem
superabit ascensu, nisi et tendat manum,
et adjuvet trahatque nitentem pater.
At hujus in vobis stat omnis benignitas,
et cura, vosque voce magna omnis vocat,
offertque sese et pandit ultro brachia.
Dominum hunc potentem humili prece superabitis
votis feretis omne quod vocabitis.
Ut qui soli scindendi terga suscitat
stivamque quae currus a tergo torqueat
tenet, retro si flectit lumina, haud potest
arvo imperare et rectos sulcos ducere,
sic qui spei oblitus adeoque maximi
pertaesus coepti miseram inter cupidinem
praesentis vitae et regna caeli vocantia,
amore rerum, quas semel reliquerit,
adhuc tenetur, hasque a tergo respicit
metuens periculi, huic petenda missio,
nimirum inepto, qui recta in caelum inferat
signa nec alit dignos Olympo spiritus,
qui, velut canis ad vomitum, viam converterit.
Jam sinite mortui parentent mortuis,
solvantque justa ; vos ne superstitum quidem
cura avocemini coeptis ingentibus :

qui non a me stat, hostem hunc judico meum.
Qui sella considere gemina nititur
demens utraque excluditur saepissime.
Servire sic heris duobus qui volet,
nullum aedepol utrimque praemium feret.
Quam nil agunt, qui mammonae et deo ambigunt ?
Quod qui putat se consequi, se consequi
simul putet cum insania prudentiam.
Hic totius pacis, quietis, gaudii est
dator ; ille belli, laboris et luctus sator.
Quisquis animae hic timet suae, perdit magis
quam parcit ; at qui prodigit, ne perdere
putet : repertam olim curabit huic pater,
dabitque quod nulla emi satis anima queat.
Quippe huic supremi parte caeli cesserit,
delapsus huc caelo, ignem in orbem immittere
veni, nec aliud quam quod ardeat volo,
et cuncta secum levis in altum pertrahat
siccosque plures faciat atque fervidos,
et ad ferenda duret infortunia,
et lustret omnes cordis humani sinus
caecaque relaxet pectoris spiracula,
qua penetret alti indomitus aetheris calor,
ni magis hiantes ut premat venas, ne aquam
saevi hujus et furentis accipiat maris.
Nec ulla jungere veni pacis foedera,
quin bellum et odia plusquam intestina serimus ;
facimusque mutuo ut caro atque spiritus
sese oderint atque invicem bellum gerant.
Vis tamen intendenda omnis, ut victor animus
sit semper, spolia referat, hosti vincula
(quem, ut tempus erit agi res, laxet, aut premat)
injiciat, mores ponat, parere doceat.
Utatur insuper ut decet, victoria,
donec volens ac victa se demiserit
legesque, quas victor fixerit, acceperit :
quae nisi jugo subacta paret, imperat.
Ratione item frenanda velut repagulis
mens. Namque, si quamdiu intus iram parturit,
consilii illi vis mulctamque irrogabitur.
Quod si dolore pressa quicquam ejecerit
atque inde tenuis halitus se effuderit,
quo vel pusilla labes cuiquam aspergitur,
tenebitur, fietque judicii rea,
tergoque pendetur non levis jam noxia.
Quod si incubuerit ac superfetaverit,
hincque effluat virus hippomane nocentius
intercidantque verba non innoxia,
nec instar aquilae, quae calore ne suo
ova excoquat, supponit alvo gagaten,
adhibuerit calori temperantiam,

capitis subibit imminens periculum
gehennae, uterique agetur male lati rea.
Quod quisque facit ira, hoc idem infectum volet :
non facere quam olim paenitere sit prius.
Leges novas, sed sanctiores veteribus
scimus, meus qui futurus es, cape has memor.
Te fac meum primum, tibi linquas nihil ;
imo neges tibi te, et crucem tollas tuam
dispendi in hanc paratus. Ergo mei ipsius
extrema qui cupis, etiam extrema audeas,
bonumque rebus pectus opponas malis :
me sequere per tot ut ducem discrimina.
Patrem tuum, tuamque matrem, et liberos,
(nec dignus est me illos mihi qui praeferet)
pecuniam, agros, prae me nihili ducito :
quilibet inique aut quaerit aut quaesta occupat.
Quam prudenter agit, qui homines deumque his fenerat.
Quid orbis universae proderunt opes,
si pateris animae infelix jacturam tuae ?
Rudens acum, quam dis polum intrat ocius.
Probat suo nunc dives ille incommodo,
quid byssus et quid tincta lena murice
et apparatu faciat unctum regio,
luxusque nulla cui quietem daret dies.
Fidere decet : prima haec salutis est via
fide, et nihil non erit tuo sub numine.
Vel si emoveri sede montem jusseris,
repente dictoque citius moverier
(tanta fidei est vis ac potestas) videris.
Nec ullus umquam celsa tanget sidera,
ni crimina prius vivo eluerit flumine,
(ea quippe prima cuique sunt piacula)
labesque circumlatus aurae igne simplicis
exemerit sensumque purum liquerit
veteremque mire novus hominem homo emoverit
viresque mystico novaverit cibo :
quo qui minime erit usus, abusus pabulo
delinquet haud minus, quam si me proderet.
At rite qui se hoc commeatu, ut symbolo
munierit, facile arcem huic pater caeli annuet
dabitque divum epulis aeternum accumbere.
Si te manus, si te impedit pes vel oculus,
scindito manum, abjicito pedem, fodito oculum.
Te satius etenim est altero claudum pede,
truncum manu, resignatoque altero oculo,
te satius, inquam, alto ita polo succedere
quam vultu insignem et omnibus validum artubus
explodier, miserum, gehennam in igneam.
Te dona nulla, obsequia nulla, caritas
nulla, a mea usqnam caritate separent.
Amandus est tibi ille qui vel te oderit

vel haeserit etiam. Hunc magis superaveris
beneficio quam armis. Nam, ut malum bono
rependis, illius super caput injicis
prunas, quibus vitium omne malevolentiae
excoquitur atque exsudat humor inutilis.
Quod si ire secum te jubet stadium, i duo,
compone lites obiter et paciscere
cum parte, cui vel dixeris juste dicam :
incertus aleae fori, ne calculum
atrum feras pro albo, ut fere fit, et cadas
causa ac deinde manciperis carceri,
quo haud eximeris, quin prius decoxeris,
nec non supremum exsolveris teruncium.
Abs te procul sit omnis iracundia,
ut ne vultu quidem ulceretur caritas.
Omnes lacessitus vices vitaveris.
Nil tam grave est quod non levet patientia.
Quod uni dico, quisque sibi dictum putet,
pro se quisque viri vigiles mentem attendite,
semper parati fata praestolemini,
spe incerti dubia, an primo ab ortu tempore
meliorne cum vires dabit sanguis an gravi
senecta erit vobis migrandum e corpore.
Nam quod virescit, sequente fenum post die
arescit, ac in ignem siccum mittitur.
Jam vos deum fandi ac nefandi esse memorem
sperate, qui justis aequabit partibus
operum laborem. Qui sic se comparaverit
ut omnis exsortem reatus spiritum
reddat deo, reddet vicissem praemium
deus (nec vana fides) inaestimabile ;
qui vero secus instituerit vitam suam
adigetur ad ignes, ignes erebi perpetes.
Ibi fletus erit ac stridor molarium.
Peccare sic nefas, quia hinc pretium est mori,
aeterna poena, aeterna sunt ut praemia.
Et meliora moniti sequi dubitabitis ?
Nec facinorum speretis ulla umbracula,
lux alta fati nil sinet caligine
mergi, sub auras proferentur omnia
partem videnda in omnem et exposita oculis.
Accipite haec animis meaque dicta figite.
Quae mihi pater, ego pando vobis omnia,
et scita magno nostra habete in munere.
Cavete dona negligatis talia.
Dabitur habenti, non habenti, si datum est
quicquam, auferetur : quod dedi, et quod non dedi
eripere fas mihi. Meto quae non semino.
Nec nostra mandentur notis oracula
quae quo magis latent, ea magis exhibent
lucisque veritatisque remotissimae,

quibus oculus animi his tenebris liber est.
Lux estis mundi, luceatis ceteris :
sal estis terrae, condiatis ceteros.
Occulta lux, fatuus sal, ulli haud usui est.
Unum illud, o amici, et unum prae omnibus
iterum iterumque monebo, vos rogans simul
et imperans ut diligatis invicem,
perinde dilexisse me ut vos cernitis,
nec ferre amoris certius pignus mei
vobis dare est quam quod animam hanc effundere
ultro sumus vestra parati gratia.
Vultisne ut uno quasi fasce colligam omnia ?
Se summa legis gemino hoc vertit cardine.
Veneremini in primis deum : hunc praecordiis
accipite totis, numquam excutite pectore.
Sit ille vobis, sit ille, inquam, semper deus,
nulli hunc secundum habete ; deinde proximum
juxta ac vos benevolentia amplexemini.
Quae non tibi negas, nec illi negaveris :
quae non tibi indulges nec illi indulseris,
animamque plus quam carnem, utramque maxime
amato ; neutra quicquam a te frustra exigat
quod ad bene beateque agendum pertinet.
Hoc insuper tamquam colophonem inferam,
si cuncta ad unguem recteque exsequamini,
servos tamen vos esse dicite inutiles ;
nec feceritis praemii hinc dispendium,
nec haec in auras fundite quae praescripsimus,
qui principia finesque rebus omnibus
praescripsimus. Nec jam futurum Messiam
speretis alium. Quem si quisquam dixerit
venisse, neu credite, sed ne foras quidem
prodite visuri stata semel fide,
tantisque rerum firmata miraculis,
quae paria mecum nemo fecit hactenus.
Dictum arroganter non velim hoc putarier,
jure meo, si id assumo mihi, facere videor,
quippe cujus voce sola daemon invidus
et febris aestuans, lepra urens, pigritans
paralysis in ventos fugatae abiverint.
Centurionis absens verna convalet,
natusque matri carus, utpote unicus,
foras jam elatus illico expergiscitur ;
suumque recipit usum manus inutilis,
nec non remissae plurimis sunt noxiae,
nostrisque verbis suscitatus Lazarus.
Genua trahentes aegra confirmavimus,
nec latuit olim nostra vos sublimitas,
siccis aquas tranavimus vestigiis,
dictoque citius mare resedit et notus,
et daemonum omnis in sues versa legio est.

Haemorrhois conclusa, mystae filia
est restituta patri. Quinque panibus,
piscibus duobus et his quidem minutulis,
expleta quique hominum fuere millia,
pluraque superfuerunt longe traditis.
Sanatur expilata medicis femina,
laxatus hydrops et decem exuti malam
scabiem, viantis lumen oculis redditum est.
Qui se in ignem et aquam agebat solutus puer.
Vestisque tactu haud dubia virtus exiit,
diuque muti fracta sunt silentia.
A stirpe jussa subito ficus aruit.
Nec hic juvat vacatve complecti omnia,
nec cuncta nunc ad mala ab ovo persequar,
veh consciis miraculorum et numinis,
qui praeter animi se obfirmant sententiam,
nec acquiescunt, quae haud dubitanda noverint ?
Nullo eluetur impudens die nefas,
superstites manet atque casses lumine.
Dixi haec monendi, haud gloriandi gratia,
nec gloriam venatus umquam sum meam,
sed ipsius demisit huc qui me patris,
cujus ego virtus magna sum et potentia.
Qui conspicit natum et parentem conspicit :
siquidem pater manet in me, ego simul in patre.
Id non secus si modo ulla comparatio est,
quam fomite ignis, igne lux processerit.
Fomes pater, natus ignis, lux est spiritus,
tres invicem sese uno miscent numine,
omnia tria unum sunt, tria est unum omnia,
Tribus una majestas et aequa gloria,
divinitas eadem, similis essentia.
Jamque superavimus viae multum. Ecce adest,
intremus hortum. Heu quanta concitabitur
hac nocte turba : vos, ut aspecto sacro
alite columbas, palantes aget metus.
Haec dudum cecinit actus vates numine,
pastore caeso late erraturas oves.
Hic state, dum illuc eo rogaturus patrem.
Bar Iona, vosque Zebedaeigenae, quibus
credita fides sit omnium, quae gessimus,
aliis relictis, accedite propinquius,
ut, qui fuistis olim testes gloriae,
sitis simul tristitiae conscii meae.
Heu quantus horror, quanta me molestia
invadit. Anima tristis est mea ad exitum
usque. Agite, providete, mentem advertite :
votis petatis ulla ne tentatio
mentem intret. Infirma est caro, promptus animus.
Sed hinc eo, quantum jaci potest lapis,
ibique pronus tertio affabor partem.

Pater, meae vires, pater, potes omnia :
miserere nati dura timentis (si sinit
fati tui ordo) namque mortis sic metus
cogit me in omnes nunc preces descendere :
si qua est adhuc pietas fuitve olim tibi
quicquam dulce meum, transeat, quaeso, calix
a me iste. Verum si bibendum praecipis,
in me tibi quicquid lubet, pater, licet.
Sed, o dolor, dolor, quemne hominum atrocia
quae mente mecum perago, non exterreant
tormenta ? An usque, an usque nunc geris, pater,
meo labore pectus insaturabile,
dolore numquam non prius meo dolens ?
O mortis horror morte quavis durior,
o morte quavis gravior ignominia.
Sed nuntium caeli propinquantem intuor,
Salve dei interpres benigne. - Tu simul.
Salve voluntas, et voluptas unica,
Christe, patris, ad quem summo Olympi e culmine
jussus viam carpsi : ut velut deum colam
hominemque verum soler, humana omnia
humanitus ferentem, et alto territum
mortis metu. Hem quo nunc recessit pectoris
vis illa praesens, qua genus mortalium
sanguine redimere olim spopondisti tuo ?
An quos frequens ad fortitudinem erudis
constantiamque, isto trahi exemplo putas
ad negligenda quae imminent discrimina ?
An morte terreris malorum termino ?
Despondesque animum et deserit te gloria
harumce rerum ? Nec polum spe praecipis ?
Pleraque longe inferior hoc mortalibus
qui sponte vitam finierunt, nescii
quo fata ferrent : tu, futuri praescius,
securus otii et beatitudinis
tempus moraris ? Fata jamjam desine
sperare flecti prece, metum hunc mente excute,
revoca animum, hic exantlandus est tibi labor,
-Tam vera dicis quam jubes dura, angele.
Heu quantus hos sudor per artus effuit,
et sanguine, ecce et aqua rubens humus madet.
Verum revisendi mihi jam sunt mihi mei
membra somno victi quos acerbioribus
verbis corripiam, ut excitentur promptius.
Dormisne gens dei tanto in discrimine ?
Non unam potuistis horam mecum ducere
vigilando ? Nunc vestro, ut lubet, quiescite
arbitrio, jam instat hora, venio in hostium
manus. Hem Judas minime stertit impiger
me proditurus in necem mei et sui,
nimis nimisque oblitus instat proxime.

# SECUNDUS ACTUS.

CHRISTUS, JUDAS, PETRUS, CHORUS, DISCIPULI.

JUDAS.

Nil ceperis, quod fine non claudas suo,
stat rem malam pejusque coeptam, gnaviter
tamen exsequi, quo jure quave injuria
ulciscar ereptum meis e faucibus
bolum. Ah mihi quantum haec dolet profusio ?
Uncti pedes, myrrhaque perfusum caput.
Sanguine reponent. Vos, sequemini ducem
me velites, gnarum viae, loci et viri.
Heus, heus, ministri qui faces, qui cornibus
praefertis ignem, istac iter deflectite
vicinum ad hortum, quem aluit torrens Cedron,
secedit illuc cum grege homo suo frequens.
Ne nesciatis, praemonere vos velim,
ut cui osculum libavero (quippe ibi duo
simili ore, magnitudine nihil dispari
sese offerent) hunc vos tenete, ducite
caute, tenis post terga vinctum artis. Viri,
cavete. Nam illum dudum euntem vidimus
turbam per ipsum nemini mortalium
nec cognitum, nec hercules visum. Se ita
subducit, ut manus sequentium exeat.
Illi ego salutans implicabo brachia ;
sub haec, virum occupate, humeris incumbite,
duramque vim intendite. Sed eccum, non, ita,
certe ipsus est, se sponte nobis obtulit
animique fidens prodit obviam, o nova
facies mihi. Pro quantus in vultu deus ?
Horresco, dentes pruriunt formidine.
Cho_ Quo nunc iter tenetis, aut quem hoc temporis
quaeritis ? Jud- Iesum Nazarenum quaerimus.

Ies_ Sum vero Iesus, quid tenebris poscitis
velut latentem, quem nec ipse cernere
die vel alto, ni velim, sit copia ?
In me quid arma fertis ad cujus quidem
vocem repente sic terremini ? Hem velut
poti, aut adacti fulgurum ventis, retro
labamini ? Impotentiam non agnoscitis ?
Quem quaeritis, rogo ? Cho_ Tibi jam diximus,
quaerimus Iesum. Chr_ Iesus adsum. Jud_ O optime
ave magister, da te in amplexus mihi,
nec subtrahas ori os, libes mihi osculum.
Chr_ Immane, quid praetexis osculo nefas ?
Quid huc venis Juda ? Quid hinc tibi petis ?
Si amicus es, quid arma ? Si hostis, quid osculum ?
Nec hic negaro, hoc me licet prodi sciam,
sed mitte in aurem haec dicta : te exsortem quidem
hujus fuisse praestitisset luminis.
Quam hoc sperasse nefas, atque sperato insuper
potitum, at quid non cogit auri sacra fames ?
Eritque tempus quo me magno emptum voles
intactum nummosque istos et diem oderis.
At vos quae versat principes insania ?
Me nunc velut furem in tenebris quaeritis,
nec id secundis optimatibus licet,
quem luce clara contionantem antea
vidistis in templo frequentius, quid hic
captum non capiebatis ? Ipsam conscii
lucem timetis ?  Dis- O indignum flagitium !
Sic te magister inulti patiemur trahi ?
Sinisne vindicaturos injuriam
decernere ferro ? Chr_ Sinite, deoque cedite.
Pet_ Amor arma ministrat, tu i magistrum carnifex
meum adferes manus ? Poenas dabis improbe
mihi pro scelere tanto et ausis talibus,
Petrique quid possit manus jam senties.
Chr_ Ecquis, Petre, iras has tibi excitat furor ?
Nequicquam mihi tot adferendam injuriam
sermonibus factisque docte saepius.
Num me sinis morem ut meo geram patri ?
Explere fas est cuncta de me oracula.
Ensem reconde et redde vaginae, neque
res defensores tanta postulat manus.
Quae feceris, spera : ense qui caedet, cadet.
An te fugit, quod si rogavero patrem,
exercitum conscribet auxiliarium ?
Quorum unus his sit omnibus potentior.
At, Malche, adesdum : aurem tibi reddo, tace.
Cho_ Nil hoc movebis, vinciere subdole.
Chr_ Vos nil moror, jamjam trahi et trudi sino
me quo lubet ; sed quos mihi dedit pater,
tutos velim, nec quemquam eorum perditum

82 par est : abire sinite, quo videbitur.
83 Cho_ Quid jam sinemus ? Hoc labore nos levant,
84 hem similes nimbo et huc et illuc perpetes
85 feruntur, illisque timor alas addidit.
86 Elapsus hinc unus reliquit Sidonem.

JOANNES, PETRUS, DUAE ANCILLAE, COGNATUS, CHORUS.

JOANNES.

C2__2 v.1 Quo me ille tanto, quo illum ego amplexus sum, amor
2 minus quidem mentem sinit subsistere,
3 quin et simul cum veste vitam prodigam,
4 ut quem aliter haud datur levem praesentia.
5 Ibo ego, legamque, qua licet, vestigia
6 per tenebras. Pet_ Comitem hujusce me viae cape.
7 Ventosae heri quantus fuit linguae vigor,
8 tantus nunc accendit animum fugae pudor,
9 ut susque deque omnia feram pericula.
10 Jo_ Mene est cupido extrema tentantem sequi ?
11 Pet_ Qua ducis, adsum, me trahas in omnia
12 tecum, relicto hoc, vita, vita non mihi est.
13 Jo_ Eamus ergo, te adplica lateri meo. At
14 cum voce comprimas pedem staque auribus
15 arrectis, sonus hauritur Annae ex aedibus,
16 qui suam sacerdotum jugavit principi
17 natam. Bene est, huic quippe sum notissimus
18 a puero. Exspecta hic, dum scio rerum status
19 qui sit, subibo domum. Pe_ Metus me denuo
20 invadit, ac intus mihi sanguis coit,
21 me lux, me tenebrae, me sonus, me silentia
22 me solitudo, me concursus, me omnia
23 terrent et egomet sum mihi formidini.
24 Jo_Heus, heus, Petre. Pe_Quisnam me vocat ? Jo_Petre huc ades.
25 Huic intro quaeso liceat ingredi, o Syra.
26 Sy_ Licet. Sed quid hominis, dic , o lepidum caput ?
27 Tune ex ministris hominis unus istius
28 es ? Et es quidem. Nam te frequenter illius
29 cingentem Galilaei latera vidimus.
30 Pe_ Qui fit minister hominis ut siem istius,
31 quem noverim nusquam. Nec jam quid tibi velis
32 scio, nisi ex me delicias tibi velis.
33 Jo_ Tace mea tu, sine eat in atrium ad focum.

CHRISTUS, ANNAS, MALCHUS, PETRUS.

ANNAS.

C2__3 Nunc res mihi est homine omnium astussimo,
et qui subobscure atque perplexe loqui
est semper visus : astu ni hunc tractavero,
nil promovero minusque verum exscalpsero.
In quo mihi admodum laborandum est parum.
Nam nos subornatis probamus testibus
quicquid lubet, atque etiam supra quam quod lubet.
Nam dum hi putant sese illi, nobis detrahunt,
ejus ubi facta narrant quae absque gloria
nequeunt referri sed jubebo illum mihi
sisti, atque caute compellabo subdolum.
Dic, Christe, quo nam te relicto profugit
cohors tuorum, quos inertes plurimis
diebus educasti, in hanc, ut par fuit,
spem ut et salutis et periculi forent
consortes ? O fidei jam nullius viros !
Quibus tot ante commodaveris modis,
et plura te olim praestiturum spoponderis.
Si consecutus quod tibi debet pater,
regnum fuisses atque leges sciveris,
quae libertatis assertrices et jugum
excuterent servitutis hujus Mosicae,
et abrogarent aniles has caerimonias
quibus tot irretimur annis subditi.
Ex te illas, si vacat, lubens audiverim.
Ch_ Non est, o Anna, jam hic dicendi nec locus,
nec tempus. Ego semper locutus sum palam
omnibus. Et in templo patente singulis
nostri sanguinis hominibus. Hos interroga
qui me audierunt, hi sciunt quae dixerim.
Mal_ Tanta tibi generis est tui fiducia,
ut tam impudenter ausis responsum dare
summo pontifici ? Hem serva. Ch_ Malche, quid genae
infringis colaphum ? Si locutus sum male
aut hic aut alibi, ferto testimonium.
Si porro bene, qua me opprimis fiducia ?
Tamne odiosa erit fuitque veritas,
ut et fateri tu et fatentem negligas ?
Cur me lacessis ? Quid manu audes caedere ?
An_ Praesagiebat animus id quod accidit.
Namque veterator, ut suevit, nec nihil
nec omne dicit, deprehendi nec potest
umquam sequendo firmus atque interritus.
Mittam illum ad Caipham : qui hujus anni pontifex
dudum sacerdotes coegit in atrium,
omnes flagrantes hominis istius odio,

cuique fuit illa pridem opinio, caput
unum decere plurimum causa dari.
Fasce hoc me evolvam illique gratum fecero.
Quare agite victum hunc rapite, trahite, trudite.
Pe_ Quocumque amandabitur, certum est herum sequi.
Cho_ Malitia nulla tam mala est, quae non adhuc
plurimum adolescat institutore improbo.
Ex pessimis hic arte pejores facit.

SANGAX, SANNIO, DROMO, TESTES, CAIPHAS, SACERDOTES.

SANGAX.

C2__4
Subeuntne quae sunt dicta vobis ? Omnium
meministis ? Tes_ Hercle. Sag_ Memores esse vos decet,
ut memoriam memoria praesens adjuvet,
quam mentienti saepe tollit veritas ?
Tes_ Illam excitat vinum, paritque audaciam.
Sag_ Cavete, stulti, arcana vinum detegit.
Tes_ Urget sitis. Sag_ Bibetis inde largiter,
et promissa numerabitur pecunia.
Tes_ Numerabitur ? Non nos spe inescabis, dato.
Sag_ Fidem do. Tes_ Bellum hui pignus, hoc serves, quibus
ignotus es fide esse sublestissima.
Sag_ Vendidero spes meas omnes minus obolo.
Lites sequi nolim, sequendae si forent.
Hic me magis reum esse quam actorem velim.
Dro_ Oculis opust dextrae huic : ni videt, agit nihil,
istudque solum, haec quod capit, credit manus.
Aere non ore opus est, numeres modo pecuniam,
aut confles alios, quos voles, testes tibi.
Sag_ Accipite, ea lege tamen, ut reposcere
sit fas, si rite, quae diu inculcavimus,
et expedite, et audacter simul, <....> (vers lacuneux ?)
(ut non ulla tamen cupiditas appareat)
coram eloquamini. Sed, heus, tu, Sannio,
timidus videris. San_ Sum quidem, ut qui maxime.
Sag_ Potesne colloqui cum singulis ? San_ Quidem.
Sag_ Ex singulis est multitudo, desine
timere, tu, Dromo, superstitiosus es,
et te vereri praedicas deum, quasi
hunc nolit impostorem acerbe plectier.
Dro_ Deum ita vereor, ut daemonem tamen magis.
Sag_ Istane etiamnum opinione duceris,
ut esse suspiceris ullos daemones ?
Dro_ Ita, hercules. San_ Vah, ridiculum nimis caput
puero tibi falso injiciebatur lupi
metus, nunc, quia illo falli ultra minus potes

vir factus, invisibiles fingunt daemones,
qui te, quam puerum lupi, inanius perterritent.
Si essent, jam hos avaritiae effodissent cuniculi.
Sed ite, intro in atrium, hem vocat vos pontifex.
Vultu laborate, ne qua suspicio siet.

CHORUS SACERDOTUM, TESTES, CAIPHAS, CHRISTUS.

CHORUS SACERDOTUM.

C2__5

Nec hercules mendacium, nec veritas
ullo satis possunt tegi velamine.
Quot jam, malum, diebus et operam et oleum
perdimus, ut hos falsa doceamus fingere ?
Aures eis vellendo paene evellimus,
sed nec composito norunt vocem rumpere,
nec plus cohaerent horum testimonia,
quam dissolutae scopae, ut in proverbio est,
consentiuntque obstinate ne consentiant.
Quemque suo premere testimonio volunt,
male conciliati impendio magis levant.
Sed eccos perstrictae frontis homines duos,
multum quidem secundum faciem perperos,
catosque, heus facite huc vos, boni viri, hunccine
novistis hominem ? Tes_ Novimus quidem probe.
Cho _Quod nomen illi ? Tes_Christus. Cho_Unde ? Tes_Non liquet,
nec ut liqueret otii tantum fuit,
nec si fuisset, libuisset eo insumere.
Fama tamen haud levis hunc Galilaeum asserit.
Unde est, suo patriaeque vitio est nequissimus.
Cho_ Audistis contionantem ? Tes_ Frequentius.
Ca_ Nil seditiose aut impie est visus loqui ?
Tes_ Plurima, sed excidere nobis omnia
hoc praeter unum, quod (nostri) templum hoc dei
erueret, et solo cacumina aequa poneret
versurus ex imo, tribus verumtamen
quod post diebus excitaret denuo,
vel illo magnificentius. Ca_ Jam nunc siles ?
Nec ullum responsum paras, ut testium
vel eleves fidem, vel crimen diluas ?
Tu furcifer templum dei evertes ? Nihil
habes, sed quid habere potes quod respondeas
monstrum hominis ? Age per alti, quem generis tui
auctorem dicis et patrem vocas, dei
te numen adjuro, ut mihi nunc disseras,
si genus Olympo trahis, et vivi filius
Dei es ? Chr_ Talem vos me esse dicitis, neque
negaro, quippe sum. Ca_ Pro deum atque hominum fidem

o impudentiam hominis ? O nefarium,
et non ferendum crimen ? Quid adhac testibus
egemus ? Hem fatentem habemus. Quid modo
videtur ? Sac_ Morte quavis vel turpissima
dignissimus, sed ne te discrucia neque
discinde pallium : redi, poenas dabit
in tempore ; redi nunc tuum in cubiculum
namque ruit nox suadentque somnos sidera.
Ca_ Vos me quietem capere posse creditis ?
Sac_ Quid ni ? Relinque istum his quieturum quidem
longe minus quam tu, probe hos, si novimus,
queis saeviores nullos usquam inveneris,
aut magis in poenas cogitandas daedalos.
Istum suis ornabunt ex virtutibus.
Ca_ Quando ita paratos ac volentes intuor,
provinciam vobis relinquam : hunc vinculis
stringite columnam ad istam, se hominem sentiat
deus deorum. Sac_ Effectum tibi curabitur.

TORTORES.

C2__6 Vaeh tibi, Christe,
pax tibi, Christe,
hos ede pugnos,
dextera malae
haereat ipsi.
Vaeh tibi, Christe,
pax tibi, Christe,
vaeh tibi Christe.
Dic modo si fis
Christe propheta,
quis caput isto
contudit ictu ?
Vaeh tibi, Christe,
pax tibi, Christe,
stercore fosse
qui tibi divum
pascis honores,
nuper asello
vecte per urbem,
et populari
laetior aura
cuncta canentis
stulte popelli
ora replebas :
Samaritane,
Daemoniace,
helluo magne,

magne matulsa,
nunc sceleratas
da mihi poenas,
hem mihi malas
porrigis ultro ?
Nec venienti
vertis ab ictu
belua vultum ?
Sputa nec exis ?
Nox tibi nulla
contigit umquam
longior ista.

PARMENO, PETRUS, CHORUS CIRCUS.

PARMENO.

C2__7 Quam non satis cognoscitur quid quaeritur
neque id prius quam paenitere coeperit,
fere sentitur umquam, quando quaeritur
accersiturque procuratio penus.
Est servituti servitutem adjungere.
Reddenda primum accepti expensique ratio,
ibi forte, si quid, quod minus perscripseris,
exponis, id tuo expositum est dispendio.
Si carius veneat annona, tum hic fides
laborat, ac existimatio tua,
herus diarium videt, legit, silet,
pejora verum hoc innuit silentio,
quam si palam tecum ageret contumeliis.
Tu nec silere jure, nec loqui potes,
silentium furti, sermo arrogantiae
adfert notam. At minora sunt haec omnia
quae vult herus ferri, quam quae velis nolis
ferenda conservis tibi sunt a tuis.
Invidiam omitto, omitto verba, injurias,
devotiones, id genusque cetera
convicia prae ut quae dicenda, levissima,
nullo tibi non loco, nullo non tempore
insidias moliuntur et nectunt dolos.
Nec id fere contingit umquam, ut quispiam,
et is praesertim qui penus curam gerit,
in quem omnis inclinata decumbit domus,
et servorum et heri simul iniret gratiam.
Frugalitatem odere servi, hanc herus amat.
Herus minatur si vel obolum prodigis,
si sumptui parcis, tuo te numine
hoc facere clamant servi, et haeredem vocant

quibuslibet sunt voraciores purpuris.
Si quid recondis, non secus quam lamiae,
lupive hiantes aut canes ad ilia
ubi recondas intuentur, nec Hercules
illis satis quicquam obsignarier potest,
seu vestis, aes, sive edulium reconditur,
cuncta quidem, vel pulviculum verrunt. Tamen
ratione subducta, si summam colligis,
satius premi est onere quam honore deprimi,
nimioque rectius labore quam otio.
Quandoquidem nihil sit quod velis esse, ubi minus
sis qui prius fueris, vitam istam transigi.
Itaque mihi nullus segnitiei est locus,
lumine pererranda hoc mihi est omnis domus
donec latronum evomuerit totam hanc luem.
Pet_ Me miserum cui latendi ne hora quidem datur.
Nullae latebrae, nullus est locus satis
tutus timenti, te deus perdat senex
cum lumine hoc tuo, verum imitabor nepam.
Haerebo parieti ; heus quid hic, malum, lates ?
Quid hinc scelus te aufers ? Gradu istic comprime
si tibi caves, num sacramentum, obnoxius
Christo huic dedisti ? Nec negare id jam potes.
Cho_ Vere hujus ex asseclis hominis es, o senex,
idipsum satis os indicat discors sono,
et te tuus Galilaeum sermo arguit.
Cir_ Nonne ego te vidi in horto cum illo furcifer,
qui modo tribuli aurem praescideris meo ?
Pet_ Diris agar si vel de facie hunc noverim,
hujusque dicti testem eum, qui est, advoco.
(Nec me hic mendacem aut vanum licebit fingere)
jam me soli polique summus arbiter
fulmine tenebras ad Acherontis exigat,
si quid mihi umquam cum homine intercessit rei.
Istuc est sapere, ut negligatur interim
fides, dum capitis consulas periculo.
Sed mihi secundum jamjam gallus occinit,
nutuque Jesus me, nescio quid, admonet,
ah jam scio ecquis (omnium) inconstantior
fideque fluxiore, quis capiti meo
aquam dabit ? Quis excitabit lacrimas ?
O ter quaterque perditum, o insania
insana, mentem quis mihi motam eripit ?
Miser, ah miser, quae mihi salutis nunc via ?
Non sat superque erat fugisse, dum manus
injicerent, nisi nunc quoque relictum denegem ?
Quid facerem, facere si minus factum foret,
ut nil minus quam quod feci modo facerem ?
O me ingratum, me inhumanum, me perfidum,
quem nec tot merita, tanta nec benignitas,
nec ulla pietas monere aut movere potuerint

promissae ut fidei veniret in mentem mihi ?
Quam mihi videbar pulchre fortis, cum deerat
periculum, nunc ad levem mulierculae
vocem absque vi absque injuria ulla turpiter
(nec quemquam fidere invito fas est deo)
hunc ne nosse quidem extemplo dejeraverim
pro quo mori ante jactitabam strenue.

## CHORUS, CAIPHAS.

### CHORUS.

C2__8 Invidia gravius nullum est tormenti genus,
quae vigiles, quae sopitos sic exerceat,
ut numquam vel paulum sinat quiescere.
Ca_ Nocte quam longa, somnum oculis haud vidi meis,
licet jacenti solito in strato stragulis
cincto et cortinis, nullus obstreperet mihi ;
sed me huc, illuc utrumque versabam in latus,
suspendens crura, jactans brachia et caput,
nunc pronus, nunc supinus : plura me reor
plura inquam passum quam ille, sed faxo hoc die.

## CAIPHAS, SACERDOTES, CHRISTUS.

### CAIPHAS.

C2__9 Salvere vos, pii sacerdotes, velim.
Sac_ Nos te simul, sacerdos summe et optime.
Ca_ Ubi nunc sycophanta ille perditissimus ?
Sac_ Ipsum videbis multum ab illo, qui deum
se vesperi jactabat, mutatum. Ca_ Quid est ?
An vertit illum pertinax sententia ?
Sac_ Nescimus, nec locutus est quicquam neque
ullum locum dedere verbis verbera,
sed adest, ab illo tute poteris sciscere.
Ca_ Accede, Christe, huc, dic palam nec anxios
diutius nos distine, si sis dei
caeli solique regnatoris filius.
Chr_ Si me esse talem dixero, nullam meis
habebitis dictis fidem ; sin autem ego
vos scisciter rogemque quae scitis probe,
nec confitebimini neque respondebitis,
nec dimittetis, nisi demittatis neci.
Monere vos unum interim non desinam,

quod quem negatis, quem hominis esse filium
vultis, aliquo videbitis post tempore
caelum tenentem cum copiis caelestibus,
ac considentem ad dexteram dei patris.
Ca_ Genus ergo ducis caelo et filius dei es.
Chr_ Verissime vos me esse dicitis. Sum ego.
Ca_ Quid est quod ultra sit probandum apertius ?
Indicio se velut sorex prodit suo.
Ex ejus ore audivimus blasphemiam.

ANCILLA, STORAX, CHORUS.

ANCILLA.

C2__10 v.1 Vestram obsecro fidem administri hunc cernite
vestibulo in ipso, qui ni me haud mediocriter
et vultus hujus, et meus fallit oculus,
ecastor, ex eorum est ordine et loco
hominum, qui Iesu huic Galilaeo operam dabant.
Sto_ Iesus istum habebat semper in oculis,
solus norat aditus molles et tempora
viri : huic suos suaque consilia credidit.
Cho_ Num sub imperatore hoc facis stipendia ?
Pet_ Non ita deus me amet, qua enim spe pauperi
huic <....> me viro in clientelam darem ? (vers lacuneux)
An_ Ut jurat ? Se vult servatum perjuriis.
Cras faxo, galle, elumbis ut sis, qui mihi
hanc dormiturae semper naeniam occinis.

CHORUS.

Sic comparatum est scelera poenae ut sint suis
auctoribus, licetque nullus exigat,
illas tamen pendunt sibi (nec carnifex
usquam invenitur conscientia acrior,
quae non sinit mentem reum subsistere)
magisque sese vindicant saepissime
quam vindicari injuriam passi velint
mortemque, quam veniam, expetunt lubentius.

JUDAS, ALECTO.

JUDAS.

C2__11 O homines sacrilegos, scelestos, impios,
qui quem pecunia numerata prodidi,
recepta eadem, eumdem nolunt reddere
habentque quod dederunt simul et quod dedi.
Vaeh relligio, se mercaturos venditant
pretio aliquem ad sepulturam exterum locum
quod pretium est sanguinis, in aerarium abnegant
referre, cauti in parvis, caeci in maximis.
Nec paenitudo facinoris tanti mea
nec sua remordet illos conscientia,
quod tam impie curent damnatum innoxium.
Quid, inquiunt, ad nos num praestitimus fidem ?
Quid egeris tecum ipse, si lubet, vide.
Videam ego ? Quibus tam atrox videbo oculis scelus ?
O hominem me, si modo homo sum, omni belua
longe quidem efferatior, miserrimum.
Heu quid agam ? Quo me vertam ? Furiis, hem, feror
incensus hei quae versat animum insania.
Apagete cuncti mente qui constabitis,
ne sceleris ulla vos mei contagio
invadat, istinc illico facessite.
Mentem egone perfidiae usque plenam impellere
potui, adeo nefandum ut meditarer scelus ?
Quis (velle fac), quis me tueri jam potest ?
Quis tandem non me aversetur tam subdolum ?
Quis tam nefarie impium, tam perfidum
non horreat ? Non opprimat ? Qui perdidi,
qui velut ovem lupis impastis prodidi,
dicam hunc magistrum ? Imo patrem facillimum.
Jam mihi velim tellus dehiscat infima,
nox ubi colorem caeca rebus abstrahit,
ubi profundis mersus umbris et caligine,
aeternum, quo non oculus fert, quo conscia
me nulla possit fama consequi, obruar.
Quae quibus anteferam ? Quid loquor ? Quis mihi modus ?
Nec jam scio si sum, nec esse gaudeo,
et o fuissem numquam mille dignus mortibus.
Hoc nec una mors satis piatura est scelus.
Quid ultra lumen intueri demoror ?
An vitam carpere opto ? Qui hujus luminis
hujusque vitae auctorem, vita et lumine
quassandum perditus demens objecerim ?
Quid nisi restis jam misero restat denique ?
Alec_ Tantus, adeoque dulcis hominibus omnibus
vitae est amor, rursus tantus mortis timor,
ut jam quidem periculum sit, ni urgeam,
ne redeat ad mentem. Juvandus est mihi

ad laqueum, res videbor hodie mihi duas
fecisse diversissmas, sed multum utiles
mihi gregique nostro, hunc si impulero ad necem,
quem mecum praecipitem in barathrum pertraham,
Christumque liberaro morte, qui inferos
(nempe ita prophetae jamdudum aetatem canunt)
spoliaturus atque oppugnaturus dicitur.
Adibo ad hominem. Salve, Juda, ut meritus es,
habes merito quod irascaris faucibus
tuis : necte tibi laqueum, hem tibi pensum Atropos
dono dat. Quid odiosa luce longius
optas fruisci invisus diis et hominibus ?
Quis jam tibi aut honoris aut vitae locus ?
Quid differs ? Quod brevius, melius est in malis,
nec tanto veniam sceleri umquam speraveris.
Jud_ Nec spero, nec peto, nec si jam detur, volo,
nec ullius opem imploro, nisi tuam unius,
(restim operamque mea causa hic sumpti faceris)
ut laqueo collum obstringas et frangas gulam,
cum mortis ista innexuero nodum ab arbore,
immineas humeris et multa vi me premas.
Sed tam scelestum, tam impium et nefarium
nulla puto me suspendio dignabitur
arbor. Alec_ Dignabitur quidem, vel proxima
sambucus est haec : addites te huc, nitere
his ramis. Jud_ Faxo quam lubens. Alec_ Lubentior,
ad rem tibi sum praesto, perge. Jud_ Me metus
invadit. Alec_ Perge, hunc tibi repente finiam.
Jud_ Scandi, tuum nunc tu officium defungere.
Alec_ Facio, pax qualis hinc erumpit halitus ?
Hem medius crepuit nec, mortales ut alii,
eflavit ore, verum ventre, spiritum.
Nec decuit emisisse hunc, qua datum osculum est,
quem mecum aeternis deputatum ardoribus,
(qui praeparantur animum despondentibus
veniamque consequi olim desperantibus)
Stygiam ad paludem et stagna Cocyti abstraho,
et corpus una ipsam, ne inficiat aerem.
Quod nec ferae alites, nec impasti canes,
nec quamlibet famelici attingerent lupi.

# TERTIUS ACTUS

PILATUS, SYRUS, CHORUS, CHRISTUS.

PILATUS

C3__1 Quis assulatim paene pultando fores
effringit ? Heus corripite sono corpora
surgite despumantes hesternum adhuc merum,
nec dum sat omnem edormiistis crapulam ?
Sy_ Te Judaeorum exspectant primi ad lumina.
Pil_ Non hos intromisisti ? Sy_ Nolunt ingredi
ne polluantur, hunc (aiunt) diem suo
ferunt deo solemnem, ut inde pascha edant,
trahuntque vinctum quemdam. Pil_ Iesum suspicor
in hoc, ut illum caperent, tradita est cohors,
jam prodeundum est ocius mihi foras.
Quid nunc tam mane, o Judaei ? Rei quid est ?
Cho_ Pilate, namque jus tibi Caesar facit
et sciscitandi et vindicandi criminum.
Tibi dierectarium istum adducimus
tuoque sistimus reum praetorio.
Istum dede neci et affigi cruci jube :
mortali nos beneficio immortaliter,
Pilate, nunc omnes tibi devinxeris
dictoque dein magis audientes feceris.
Pil_ Istum ministri intro rapite in praetorium.
Sed cujus illum postulatis criminis ?
Quidnam fecit mali ? Cho_ Quid non fecit mali ?
Hunc tibi non deferremus, crede, innoxium.
Pil_ Pro lege vestra poenas ergo sumite.
Cho_ Damnare quemquam morte nobis est nefas.
Pil_ Deferre quam damnare creditis minus ?
Delationis vi fertur sententia.
Cho_Judicio insontem numquam demittes neci.
Novis qui vulgus falsum habet opinionibus
censum intervertit vetatque pendi Caesari.
Sese esse regem ubique falso venditat
impostor impudens et plagiarius
et plebem a nostra imo dei lege avocat,
quo scelere comprenduntur uno cetera.
Pil_ Homo iste quem defertis esse sentio
aequissimus scelerisque quam purissimus.
Una dumtaxat me haud parum re habet anxium,
quod sese homo minime ut videtur, improbus,
regem audeat fateri, si audeat modo,
nec abs re id. Iste nempe corporis status,

facies honesta et liberalis regium
nescio quid arguit dignumque purpurae.
O quantum in illo est instar quem sese refert ?
Adibo, remque in quaestionem istam feram.
Nunc illius gustare sermonem volo.
Heus, Christe adesdum, et profitere candide,
tune, obsecro, rex gentis es Judaicae ?
Chr_ A temet ipso hoc dicis ? An alii tibi
dixere de me ? Si tu per te conjicis,
ut qui prophetas forte nostros legeris,
assertione nil ultra est opus mea,
nec dubiis signa multa jam monstris dedi.
Si per alios, mihi uni haud credes plurium
fidem elevanti. Pil_ Tu Judaeum me putas,
cui a negotiis tantum supersit otii
vestra ut legam vel qui legerunt audiam ?
Quive te oderim, quem sumpserim, in quem vindicem ?
Num gens tua et tui sacerdotes mihi
te detulere ? Quem reum tyrannidis,
regnique ut audis, affectati postulant.
Agnoscis anne crimen abs te rejicis ?
Quid, Christe, commisisti, te adeo ut oderint ?
Chr_ Regnum meum, ut, Pilate, reris forsitan,
hujusmodi non est quo terrae, quo maris
rerumque summam jam regi aut verti petam,
non ea vis animo, tanta nec superbia,
nec haec honoris praetendi umquam culmina.
Quod si non credis, rem tibi auctorem dabo.
Omnes ab una conjecturas percipe,
si talia ambiissem, haberem satrapas
qui ferro accincti Judaeis resisterent,
ne pro sua tractarent me libidine,
regnum profecto Ponti non est hinc meum.
Pil_ Es ergo rex ? Chr_ Istud quidem verissime :
sum quippe rex nec me esse, fuerit quodlibet,
negavero, qui in hoc natus descenderim
ut veritati testimonium darem.
Pil_ Obscuro involvit verum, ac sine sensu sonum
emittit, ut non illum satis intelligam.
Quid mussitas ? Quid porro isthaec est veritas ?
Sed redeo demum, ut si queam, iras temperem.
Nequeo satis mirari o mystae principes,
quis tantus incendat animos in hunc furor,
quem nulla scelerum destruitis infamia,
nec sat peragitis, aut condemmatis reum.
Cho_ Non peragitur reus qui populum conmovet
sua arte praestigiisque et eloquentia,
per quas gradum faciet, nisi obstes ocius,
hominisque projicias repente audaciam.
Quae olim excitabit, quod nec, ut reris, premes
quum forsitan voles, Pilate, incendium ;

nam serpit in dies mali contagio,
utpote quae a Galilaea, unde nil umquam boni,
Hieresolymam usque confestim progressa sit.
Pil_ A Galilaea ? Galilaeus est homo ? Cho_ Est quidem.
Pil_ Non me igitur hic praebebo judicem : ad suum
Herodem patriciali jure respicit
cognitio tota, nec mei haec res est fori.
Non in cicatricem unguis immittendus est,
nec irritare pergam in me Herodis odia ;
rejectio haec forte dabit reditum in gratiam,
provinciales praeses in suos habet
dumtaxat imperium. Cho_ Habet et in extraneos
si quod, ut hic artifex, scelus patraverint ;
verumtamen lubenter Herodem adibimus.

CHORUS, HERODES.

CHORUS.

C3__2 Plerumque vel levi graves injuriae
redimuntur obsequio, idque si sit tempori.
Hero_ Potuit nihil mihi hoc die contingere,
hoc homine tempestivius, vel gratius
cum quod Pilatus, quem putaram in hunc diem
animo fuisse in me parum aequo, miserit,
tum quod viris primae notae condixerim
cenam, quibus futurus est homo omnibus
bellariis acceptior, sed interim,
juvat fruisci insania hujus, omnium
qui sunt, fuerunt, aut erunt, ut audio,
praestigiatoris longe festivissimi,
ut quem ferant mutasse aquam vino optimo,
quo nec falernum suavius. Quid ? Sedibus
excit suis manes et, ut lubet, excitos
rursus remittit in barathrum, in corpora
animas jubet revertier, deducere
caelo potest lunam, potest solus omnia.
Sed, rogo, rogantem, Christe, dedignabere ?
Certasse te officio priorem haud taedeat,
per te utriusque detur intuerier
parentis ora, detur inquam ultro et citro
audire veras, simulque voces reddere.
Quod si ista nolis, vel quod absit, non queas,
saltem velis, queasque, quod vel feminae
potuere, mutes ex his aliquot in sues,
aut potius evadas manus, instar Gygis,
invisus horum, qui tibi tantum invident ;
aut, si lubet, Pasetis adpara dapes, (Pascalis ?)

30 fac aliquot hic tuae specimen industriae,
31 cur dicta in aures mea negas demittere ?
32 Mene ita pati repulsam ? Dic, eja, babys.
33 Mutus magis quam piscis es : vaeh stipiti.
34 Apage elegantem regem, veste hunc regia
35 onerate verius quam ornate milites,
36 illumque praesidi curate redditum
37 meisque verbis agite gratias viro.

CHORUS HERODINORUM.

C3__3 v.1 Surge age velox
2 rex sine regno,
3 simia, semper
4 simia, quamvis
5 aurea gestes
6 pallia, cui non
7 ingenium auro
8 laena trilici
9 verterit umquam.
10 Quid tibi vero
11 debita regi
12 stemmata poscis ?
13 Chreste magis quam
14 Christe, asininis
15 effigiande
16 auriculis et
17 crure retracto.

PILATUS, CHORUS.

PILATUS.

C3__4 v.1 Si quid animo est quod non sedet forsan tuo,
2 te sequitur, ac velut tuos gressus legit,
3 vix explicaberis ; verum si quid placet,
4 id ipsum, quo magis cupis, magis fugit.
5 Ecce illum rursus ad me retrahunt, auribus
6 sonum haurio redeuntium, ac instar gruum
7 clamantium, obvium foras me proferam.
8 Cho_ Faciemus, o Ponti, hoc die periculum
9 quo nostra apud te in pretio siet auctoritas.
10 Pil_ Eo quidem quo majore esse non queat,
11 sed quo usque ad aras tamen. Cho_ Nobis haud quidem aliud
12 quam tot nefariis, tamque excedentibus

criminibus obrutum hunc peremptum poscimus.
Pil_ An' est compertus, aut confessus criminis ?
Quid sceleris in se admiserit, video nihil.
Nec ipse Herodes, homini licet infensior,
et cui odia moverit verbis asperrima,
nempe illum saepius vocitans vulpeculam.
Nec si tumultuetur plebs, est protinus
exaudienda : tantum abest sententiam ut
quemquam his deceat pati acclamationibus,
quas vel favore, vel odio, vel, ut solet,
rerum novarum cupiditate, nec sine
temeritate excitari jam olim novimus,
nec juris umquam perfringam repagula.
Cho_ Haud semper errat populus quin aiunt, eam
Dei esse vocem, quae sit populi ; nec tuae
leges nostris sunt praeferendae moribus.
Et nos quidem leges habemus, quae volunt
jubentque eum mori, Pilate, ne haesites.
Bona cum existimatione plurimas
haec gratias tibi afferet sententia.
Pilate, per nobis, per inquam, feceris
gratum, suo si ultra huic dolo uti non licet.
Pil_ Quid afferatis in homine, Hercules, nihil
praeter voluntatem nocendi, conspicor.
Plurima profertis, nihil probatis omnium.
Quae cum tacetis, clam esse nulla fatemini.
Mihi velim ignoscite, virum si saepius
excuso, nimirum hujus hoc meret aequitas,
nulla mihi optanti vobis gratificarier
vel minima damnandi hominis occasio datur.
Est vobis mos servatus annis pluribus,
quo praeses ipse vinctum unum permittere
arbitrio vestro soleat. Istum destino
quem judicetis, vestra ut feret sententia,
vestras in iras hunc vobis concedimus.
Cho_ Dimitte potius Baraban, istum nolumus.
Pil_ At quid de Jesu erit, cui Christo nomen est ?
Cho_ Quid ? Tolle, tolle, et arduae figas cruci.
Pil_ Quam saevit animis vulgus pertinacibus.
Sed nullum non movebo lapidem, ut liberem
hunc morte ; quem sic faciam discindi flagris,
et funibus tortoris ad fastidium,
ut quamlibet ferocientes expleat.
Hunc praestat cute, quam capite poenas pendere.
Tam male sit illi nunc quam cui sit pessime.

SANGAX, SANNIO, CHORUS LORARIORUM.

C3__5

Sag_ Fortiter haha
caedite tergum,
caedite pectus,
caedite crura,
jam calefacto
aere virgis,
Christe, liquesces.
Acrados hirtae
vimine texta
triste corolla
huic caput ornet.
Hem ! cruor exit.
Acrius, o vos,
acrius, inquam,
stringite. Quid jam,
Sannio, cessas ?
San_ Quid tibi cesso ?
Num magis alte
figere possum ?
Me mage vis quam
ipsa libido
deficit, ecce
ad nova semper
vulnera prurit
mensque, manusque.
Crescite poenae,
robur in ipsa
verbera crescat.
Cho Lo_Ossa retecta
undique parent.
Undique sanguis
deffluit, ecce
tabo humus omnis
tincta madescit.
Ecquod in isto
corpore corpus ?
Non ita fessus
ista ferendo es,
quam sumus ipsi
te feriendo.
Ohe, ovis, ohe
nil quereris ? Nil
denique mussas ?
Nec saturata
ira quievit.
Perge modo ira
perge, tacentis
exsere linguam,

effode lumen,
comprime fauces,
contere malas,
vellito barbam
sanguine cretam.
Nil nisi flagra
audiat aether.
Poplite flexo hunc
quisque salutet.
Cho_ Noster ave rex.
Sag_ Hui modo bellum
cernite regem,
cui vice sceptri
cedat arundo,
quando ita rex es,
ex meritis me
ut mea virtus
postulat, ornes.
San_ Talia regna
hostibus esse
quam mihi malim.

PILATUS, CHORUS JUDAEORUM, CHRISTUS.

PILATUS.

C3__6
Ecce ad eos illum rursus educam foras.
Exi, exi, Christe, scaturiens vibicibus,
vulneraque plura contegens, traducere
conspicue purpura et corona spinea.
Ecce homo, quem quis tuendo a lacrimis temperet ?
Ecce homo, cui nec juratus hostis debeat
vitam invidere nimis Hercle illaetabilem,
ac morte quavis miseriorem. Cernite
foedata sputis ora, terga vitibus
perusta, necnon et spinis cinctum caput,
cinctum caput spinis, heu, quam crudelibus ?
Quae barbarorum rabies aut immanitas
isto non commoveretur spectaculo ?
Quis inquam tam avidus sanguinem sitit, sitim
qui non hic expleat ? Quae adeo insaturabilis
ira est cui non tot plagae totque vulnera
inducant satiem ? Cho_ Nec, Pilate, hoc est satis,
illum ut meretur arduae adfigas cruci.
Pi_ Vos illum arbitrio vestro morti opponite,
nec committam umquam, ut illum adjudicem neci,
quem nullius reperiam affinem criminis.
Cho_ Quasi hoc satis superque causae non siet

quod se dei fingat impudenter filium ?
Adeoque fas, jus, lexque nostra mori hunc jubent.
An sacri commissi reum factum eximes ?
Nec judicis partes, solum in negotio,
sed vindicis vires debes absumere,
quo noster, imo communis omnium deus
violatur, imperii imminuitur dignitas.
Pi_ Jam causa difficilior hujus fit ; novus
repente me nescio quis incessit metus,
qui paene de sententia me dejicit.
Repetam hunc tamen demum. Roganti dic palam,
dic, Christe, quaeso tuum unde deducis genus ?
Nihil mihi respondes ? Quid jam subtices ?
Nihilne in hoc te respicis periculo ?
Ubi nunc tibi mens ? Quae tibi fiducia est ?
Nescis, heu, nescis, Christe, mihi vitae et necis
tuae esse jus ? Cho_ Nullum, o Pilate, esset tibi,
ni tibi foret potestas caelo tradita.
Hinc longe iniquius egit is qui prodidit
tibi me, sui jam nimium oblitus et mei.

LUCIA, DORUS.

C3__7
Lu_ Vade age, Dore,
ocior aura,
et mea defer
dicta marito.
Currere cesses ?
Do_ Jam mora nulla
in me erit, ibo
perpete cursu.
O utinam nox
perpetua esset,
si quid edendum
nocte daretur.
Namque ubi primum
orta dies est,
nulla quietis
deditur hora.
Me modo praeses,
me modo conjux,
ire, redire
huc jubet, illuc.
Et mora si qua est,
protinus haeret
dextera malae.
Per medios hos
nulla patescit

mi via, nec vox
obruta tanto
murmure magni
praesidis aures
posset adire.
Caedite, verpi,
caedite, ni jam
caeditis, isto
nunc mihi torre
limes agetur.

DORUS

C3__8
Te salvere jubet tua
conjux, et rogat, et monet,
et quantum tua dignitas
praeses maxime, et optime
uxori sinit, imperat
ne quid durius in virum
hunc rectum, innocuum, probum
ausis. Illa etenim se ait,
noctis tempore , ceteris
quo mortalibus est quies,
passum insomnia plurima,
diras quae incuterent minas.
Haec te praemonitum cupit,
nil de te tamen aut tua
haerens justitia ac fide.

PILATUS, CHORUS JUDAEORUM.

PILATUS.

C3__9
Pro Juppiter, quam usquam nihil sat liberum est,
quam multa iniqua sunt ferenda illi simul,
et facienda, suam dignitatem qui velit
retinere, quem ut multi timent, multos quoque
timeat necesse est hisque multa indulgeat
quae nec voluntas fert, nec aequitas sinit.
Scio ad necem innocentem postularier.
Quid facerem ? Verpos habeo dudum cognitos
irae impotentes, cervicosas, invidos
passi repulsam nesciunt quiescere,
nunc cautio est, ne si eorum ab ira hunc libero,
conversam in unius mei exitium ferant.

Me gestae male provinciae atque criminum
infamia tum destruent, tum deferent
Tiberio ac senatui, ac agent reum,
praeterque vera multa fingent crimina,
quae nec refelli umquam satis, nec dilui
possunt, et ut non omnibus semper fides
habetur, ita numquam profecto funditus
ex animis avelluntur audientium.
Verum supersunt ut cicatrix vulneri,
haud ulla me res habuit umquam tam anxium.
Quid si sic ? Nihil erit. Quid si sic ? Nihil magis.
At sic dehortabor, nil quam prius egero.
Quid facias cum illis , qui nec fas nec jus colunt,
furore caeci nec probant nisi quod volunt ?
At turpe eum est qui nomen aliquod aut decus
gessit privatam atque adeo securam parum
transigere vitam. Quod, si quid est incommodi,
in illum certe verti quam in me mavelim,
ne pejus ominer, cogi in ordinem juvat
me nunc assuetum trabeis et securibus,
nullos amicos aut gentiles et opibus
nullis, nullos haeredes relicturus quidem est,
qui vindicent injuriam ; verumtamen
nullum illi in me commodum claudi velim :
experiar, ibo rursus in monita et preces.
Audite Judaei, neque placidas velim
mihi obstruatis aures ; quod si immanibus
tot jam flagellis non datis vitam neque
miseremini hujus, at meis molliamini
verbis, imo aequitate ipsa vincamini,
nec facta vestri olim minores haec ferent.
Nam si ille poenas dignus has, qui pendat, est,
istis tamen, qui has debeatis sumere,
indigni, opima spolia vobis scilicet,
magnumque nomen et diu memorabile
inde referetis, impar si vestris homo
odiis et idem innoxius jam pendeat ?
Cho_ Frustra moraris tempus, velle desine,
nec plura jam pares auras diverberas,
nec suaseris, nisi feceris nobis satis.
Pil_ Quae nam voluptas, quod hinc erit compendium ?
Hunc sic neci opposuisse, qui multo minus
nocere vivus quam fato functus queat ?
Nec morte dignus, nisi etiam tollendus est.
Cho_ Tollendus, hercle, est, o Pilate, furcifer,
quem si solutum amiseris inde, Caesarem
amittas quoque necesse est, nec capit duos
consortii potestas omnis nescia,
ubi non iste sese regem venditat ?
Quo quid potest Caesari adversarier magis ?
Quem nos monarcham ferimus atque amplectimur,

cujus amor et honor praeferendus unius
et miseri et impostoris certe maximi,
qui nec habet, qui queat officium reponere,
si conferas ; nec si inferas injuriam,
ulcisci, quae qui illi usquam inferri jam potest,
qui divina atque humana vertit omnia ?
Quid ejus ostiatim agemus crimina ?
Quae latera, quae vox, quae vires immanium
jam sustinebunt facinorum querimoniam ?
Quae nam illa nunc aures vel patientissimae
ferant ? Quis non totus recensendo horreat,
quae fuerit ausus bipedum sceleratissimus ?
Vide quam inuras hoc tibi facto notam ;
nam qui potest , nec vindicat, sceleri favet.
Tu comperendinabis aut, si diis placet,
jam vulgi opinione, quae dei quoque
censetur esse, damnatum reum eximens
absolves ? Nosne (tum) incepto desistere ?
Pil_ Plectenda quaevis sine furore noxia est,
impune relicta culpa, culpam aliam parit.
At seram habet semper furor paenitentiam
et praestat absolvisse sontem, quam pati
innoxium sententiam, qualem hunc puto, et
recte puto ; ac repeto : nec ullum taedium
parere debet, si innocentem, et omnia,
omnia bonum toties solutum postulem,
qui vestra ex invidia usque superque quam satis
laborat. Hujusne odium vestrae exstinxerit
clementiae omnibus probatae gloriam ?
Ne quaeso, ne Judaei iniquo assuescite
judicio mentem, vincat iram veritas.
Cho_ Imo favorem vincat, o Ponti, aequitas,
nonne ex probatis judices pronuntiant ?
Dicenda poena nulla, quae placet deo
eumque placat, umquam erit crudelitas.
Quis tot sceleribus obruto pepercerit ?
Multa hic, Pilate, multa praetermisimus,
quae aut parum credibilia aut nimis sunt turpia.
Pil_ Quae potuit absolvendi hominis esse ratio,
habita fuit. Reliqui inexpertum nihil,
ventum ad supremum, digna indignaque fecimus.
Quod in me erat, praestitisse laudabor, situm ;
ego, quoad licuit, hominis innocentiam
tutatus ecce meme verti in omnia.
Quid facerem ? Invitus cogor ad sententiam,
at, Hercules ! Non animi hujus sententiam.
Scando igitur solium hoc variis stratum lapidibus.
Verum, o Judaei, testor utramque innocentiam
meam istiusque, quod nihil consentio.
(Nec res mihi haec fraudi sit vertatve crimini)
supplicio hujus hominis, si quis alius, optimi.

Cho_ Hac te relligione, o Pilate, exsolvimus :
pone hunc corde metum, in nos cudatur haec faba,
scelus rependemus, rependendum si erit,
nec modo nos, sed qui nos deinde posteri
sequentur : in nos noxam omnes hanc recipimus.
Pil_ Date famuli manibus lymphas meis, date,
quae ut sordes manuum reluunt ita me sanguinis,
et mortis innocentis exsortem probent.
I, colliga lictor manus, abducito
hinc et cruce extra urbem ardua suspendito.
Hujusque causam figito cacumini hanc,
Iesus Nazarenus rex Judaeorum.
Cho_ Ne scribe qui est, sed qui esse sese dixerit.
Pi_ Quod scripsimus, scripsimus. Ratum esse fas erit.

## MARIA.

C3__10
Heu quinam hos graditur per medios,
cui duo fures claudunt latera ?
Num natus meus est ? Est certe,
vultu ipso patuit meus natus,
infelix, heu, natus, tantum
an potui sperare dolorem ?
Haecne olim promissa fides est,
quae natum mihi promittebat
orbem qui dicione teneret ?
Et caelo aequaret famam,
nos deus haec in
sceptra reponis ?
O vos crudeles Judaei
ausi immane nefas, qui
sic lacerum crudeliter ora
insuper ad mortem raptatis.
O quoque me crudelem matrem,
in nato quae cernere possum
vulnera quae vos tanta tulistis.
Nec jam me prohibete aditu,
per vos liceat,
basia ferre,
quin sufferre crucem atque subire
humeris ; de me sumite poenas,
illum amittite, solvite vinclis.
Illum quid tam praecipitatis ?
Neu propera, neu te abstrahe nostro
conspectu, nate ; extremum te
compellem sinito neque matrem
despectes fili miseram,
optime saltem

respice matrem.
Haec ne oculis pater respicis aequis ?
Men’ tanto superesse dolori,
dedecori, probro voluisti ?
Quem non culpem hominumve deumve ?
Heu, quid agam ? Quo me convertam ?
Quae tellus ? Quae Mariam maria
accipiant orbatam nato,
nato uno, cunctis aliis
et meliore,
et potiore ?
Nato uno numeri damnum, qui,
si superest, satis expleat unus
matri isto nimium felici.
Si qua animis restat adhuc pietas,
et mortalia pectora tangit,
exuite hanc mentem, Judaei,
parcite vulneribus cumulare
vulnera, parcite verberibus
queis oneratis
dudum oneratum.
Sed nil proficio sermone,
nullum irae capiunt finem nec
mitescit rabies, urgetis
acrius ac celeratis euntem,
succedam non passibus aequis,
si modo non animus fugiat
tam grave nati
cernere letum.

CHORUS SOLYMIDARUM, CHRISTUS, SANNIO, SIMO.

CHORUS SOLYMIDARUM.

C3__11
Quis adeo genere e Coclitum est,
et pectus usque saxeum
gestat qui a lacrimis temperet,
speciemque cernendo hanc ferat ?
Quod sic tot ante vulnera
passus, trahatur ad crucem
homo hic, si homo dicendus est,
quo pulchrior mortalium
nullus nec innocentior,
nec alter usquam justior
in gente Judaea fuit.
Qui nemini non profuit,
at nunc cum iniquis ducitur
et medius it latronibus.

Nec mora, nec ulla illi quies.
Chr_ Quo lugeatis me, aut mea
causa, nihil jam suspicor
esse, o Solymides ; vos magis
servate vestro hos casui
luctus. Dies namque venient,
venient, sciens loquor, quibus
gestisse ventrem triste erit
et se esse matres plurimae
nolent beataeque steriles
dicentur, ori quae ubera,
buasque non admoverint
infantium. Tum sicubi
sint saxa lamis concava,
petetis atque montibus,
et collibus circumtegi,
terrasque vobis hiscere
votis petetis omnibus.
In humido si stipite
et dante fructus optimos
exarsit ignis. Quid precor
iin arido ac inutili
posthac. Futurum creditis ?
San_ Etiamne victo vis tibi
redivit in praecordia,
ut commineris tristia ?
Grandibo torre hoc tibi gradum.
Eia, sceleste restitas ?
Reddam tibi totum ictibus
tuber caput : serva modo.
Succumbit impar ponderi.
Oneri subi, Simon. Si_ Egon"
humeris subibo tam arduum,
cui vix duo suffecerint,
fascem ? San_ Subibis, Hercules.
Si jam tibi infortunium
caves. Age, huc jam te addites.
Reniteris ? Cape colaphum.
Si_ Istud quidem vis est. San_ Adhuc
de re audio ? Perge ocius.
Si_ Lex est ineluctabilis,
qua non pares fortioribus,
ipsi subesse cogimur.

SANNIO, SANDALIO, BRUMAX.

SANNIO.

C3__12
Pax, quantam meo naso induunt molestiam
exesa nondum penitus isthaec cadavera ?
Eia age, humi furcifer crucem hanc deponite,
ut quam tulisti nunc, vicissim te ferat.
Ego felle myrrhaque illi dudum poculum
commiscui. Hauri pro libidine. Abjicis ?
Ha ha he, non gustum dat, quem bibo expetis
cuive assuevisti olim, vini mollissimi.
Brumax, provolve illum in crucem, quantum potes.
Br_ Ecce ut volens sese remittit, et cruci
incumbit ultro, passas manus divaricat.
Ego hoc sinistram, Sannio illo dexteram
clavo insuas. San_ Obtusior quam qui queat
figi est. Br_ Melior hoc, latius vulnus dabit,
fige alte. San_ Nequeo altius. Br_ Ambos querno pedes
connecto robori his clavis trabalibus.
San_ Tormentis hactenus gessi insaturabile
pectus ; at iste aim explet, et adimit mihi famem.
Br_ Mihi porro crescit atque in horas pullulat,
alteraque alterius auctor est immanitas.
Sad_ Isthoc in tumulo effode scrobem, qua crux humi
mandetur. Br_ Effectum puta, mandabitur,
hem segnis haec situ tellus obduruit,
nec huic satis marra imperari jam potest.
Domabitur tamen vi, sed dic, Sannio,
audestin' Adamum, a quo genus mortalium
defluxit omne, sedibus profugum suis
nefas ob atrox, longa per discrimina
quaesisse terram hanc et loco vestigia
dixisse, defunctumque vita hac conditum
humo ? Ea fama diu tenuit aures. San_ Audii
et fama fuit, at haec rejicitur ut levis.
Br_ Ego, quem non Hercle vani docuere augures,
hariolor hunc juxta locum, vel proxime,
olim ponendam maximi statuam Jovis.
Sa_ Spretis videlicet capitolii aedibus.
Lepidum caput, nosti probe pennae omina.
Br_ Ulterius addam, si me fati longius
cogas movere arcana. San_ Cedo audacius.
Br_ Figetur hac scrobe et simulacrum Cypriae.
Sa_ Amoenitate scilicet captae loci.
Tace enecas me istis, non tam quod evomis
ridicula, quam quod illa sic certo adstruis,
ut temet ipse mentiri non sentias.
Sed pone marram, jamjam scrobs alta est satis.
Br_ Est, apage marram. Sd_ Concussisti hac mihi pedem,

di te deaeque omnes male et cito enecent.
Br_ Magis roga hos, ut sim superstes quam diu.
Me nunc mori haud ex re est tua, nam qui modo
malus es, eris, me mortuo, nequissimus.
Sd_ Quid talibus nugis creatis hic moram ?
Una omnes subito admoliamini manus,
una omnes succedamus oneri, heus, Sannio,
emines, extrema stes in parte, humeris subi,
crucemque sursum, ut se vires dant, erige.
Abi scelus, sivisti pronam labier.
Sd_ Sciens volensque feci, omnia ut ossa istius
simul concuterentur. Sa_ Suppliciorum es sator,
et si quisquam alius, artifex industrius,
rursum enitamini ac ori fossae trabem
ipsam admovete, omnes manus, omnes date.
Trahat ruinam, cavete, stragemve faciat.
Eia agite, gnaviter humeris incumbite.
Ha ha, successit, recta in auras tollitur,
nitor ipse scalis, ut crucis cacumini
crimen ejus hominis inseram, quod Pontius
Hebraeis et Latinis et Graiis notis
edidit. Id omnes modo oculis percurrite,
haud facile fixum vel furens tulerit notus.
Haec sunt de Christo, quae restant insignia.
Nunc assidentes intueamur pendulum.
Sa_ Imo inter nos pro nostra consuetudine
dispertiamur vestimenta. Porrige
mihi, Brumax, gladium, quo expedite dissuam.
Br_Gladium manumque porrigo, dissue. Sd_ Haec tua
manica, Brumax, erit. Tibi cedet altera
Sangax, habebis hanc partem Sandalio,
servavero quartam mihi, ex aequo omnia.
Br_ Nobis vestis adhuc superest inconsutilis.
San_ Non scindamus eam quaeso, nulli postmodum
usui futuram, at, Sangax, potius aleam.
Jacito, vel galeam in istam sortes mittito,
cujusque nostrum primus exibit locus,
illam subi habeat et reservet integram.
Cho_ Volumus. Br_ Conjicite vestra in galeam nomina.
Cho_ Jacimus. Sed, o Brumax, galeam versa ac move,
tu, Serra, dextram immitte, absit dolus. Expedi :
cujusnam nomen hinc detraxisti prius ?
San_ Nescio, videte. Cho_ Tuum est, age o Sandaliho.
San_ Mea est ergo solus. Cho_ Tua sit per nos licet.

VIANTES, PRINCIPES SACERDOTUM, LATRONES DUO.

VIANTES.

C3__13
Eia obiter invisamus habentem patibulum
regem, morari usque juvat, ut quem jam cruce
suspendere alii, suspendamus quoque
naso, capite, verbis. Sed eccum, maleficis
pendet duobus medius. Quam illis convenit ?
Percam trahit, quod aiunt, comitem sepia.
Vaeh qui solo aequas totumque imis eruis
a sedibus templum, diebus quod tribus
educeres fastigiumque imponeres.
Hac te cruce explica, hisque te malis eripe,
recede in auras, excute has harpagines.
Sac_ Aliis saluti qui fuit sibi deest.
Si filius dei est, fatoque Messias
promissus, Israelem qui imperio premat,
explicet hinc se duroque robore eximat,
capiatque terras : nil non illi postmodum
credemus et feremus ultro principem.
Semper dei stetisse sese numine,
deoque natum voce fatus publica est.
Hunc si deus vult, scilicet, jam liberet.
Lat_ Si deus es, excita potentiam tuam,
jam morte id extrema pares ostendere,
hoc teque nosque libera periculo,
praesenti eripe nos leto. Vae bello deo !
Lat_ Rem facis haud indignam quidem moribus tuis
qui fraude laetatus, cruces meres decem :
quorsum miser ? Quorsum huic insultabis viro ?
Qui pateris eadem, at non eadem, me Hercule,
ratione. Nam merito luis poenas tuo ;
hic vero, quem sic ludis (esse sentio)
aequissimus, scelerumque quam purissimus.
Non hunc scelus, sed virtus afflixit sua,
quem reor esse deum, et o certe <verus> deus
quem supplex precor atque exorari ut se sinat,
votis omnibus et precibus infimis rogo
ut cum supremam caeli in arcem ascenderit,
illum mei subeat nec poenas exigat,
sed numen avertat malis meritum. Chr_ Agedum
securus hodie caeli mecum culmina
scandes, ne dubita, mea firmabo numina.

## CHORUS JUDAEORUM.

C3__14

Pro dii vestram fidem, noctemne perpetem
(nam nec dies, nec nox polo discernitur)
paratis orbi ? Tanta quia nam cinxerit
nubes polum omnem, sol caput ferrugine
texit, nec astra quoquam, nec stellae micant,
praeterque rerum constitutarum ordinem,
tenebrae universas orbis partes occupant
tres plus minus jam horas. Quis huic rei modus ?
Verum audiamus nescio quid furcifer
secum (audiamus, discerpunt aurae omnia)
loquitur. Chr_ "Eloi, Eloi, lama zabatani ?"
Cho_ Eliam vocat. At sinite, videamus si opem
auxiliumve misero tandem Elias feret,
fixumque clavis liberabit a cruce.
Chr_ "Sitio". San_ Sitis ? Habeo quo restingam illico
sitim, ecce hac fellei propino arundine
expletam aceti spongiam. Hauri. Rejicis ?

## CHRISTUS.

C3__15

Heu differor doloribus.
Quid usque et usque me deus,
deus meus reliqueris ?
O vos, viam hac qui carpitis
omnes videte, attendite
si sit dolari par dolor
meo. Quis umquam pertulit
plagas tot, aut tot vulnera ?
Tot probra, totque injurias
ab his, quod est gravissimum,
quos me decebat maxime
fovere ! Verum illis pater
ignosce, nesciunt enim,
furore caeci, quidnam agant.
Hinc me jubent descendere
suasu maligni daemonis
qui se sciat vinci hac cruce,
qui tot prioribus fidem
negaverint miraculis.
Nostri o doloris altera
pars, mater integerrima,
deserta ne omnino mihi
linquaris, iste filii
loco tibi transcribitur.
Tuque, omnium carissime,

hanc ferre me tui sinas
spem, mente tota hanc accipe,
succurre maestae ac indigae,
nec parva te facti istius
manebit inde gratia :
me fratrem habebis, spondeo,
si mater illa sit tibi.
Jam nunc patescunt omnia
praedicta de me oracula
et fine clauduntur suo.
Depono vitam quam volens :
mors, quid moraris ? Quid times
voce invocantem maxima
me me repente invadere ?
Hominum et deum rex mi pater
hinc sanctus ad te spiritus
ascendat, omnis inscius
culpae, in manus illum tuas
mandabo. Sis mihi bonus.

CHORUS JUDAEORUM.

C3__16 Ah flagitium indignum, ah scelus plus quam scelus.
Insontem infando judicio turpissimae
demisisse neci ; hem sub pedibus mugit solum
exterritum et consos sepulchris evomit,
cui tanta, cui jamjam parari funera haec,
nisi arbitro rerum supremo, convenit ?
Nec cuiquam hoc licuisse potuit mortalium.
Qualia perferimus monstra ? Manes sedibus
suis ubique divagantur exciti.
Nec vero inanis illud est insomnium
soporis, hem coram praesentes cernimus,
auditur et per umbras vox maestissima,
migrate cives, his migrate sedibus,
et dubitamus adhuc illum summi filium
dei recipere, quem terra, astra recipiunt,
testantur et cassum queruntur lumine ?
Nec nostra palmis contundemus pectora ?
Nec ora vultusque unguibus laniabimus ?
Et testatissimis negabimus fidem ?

MAGDALENE JUXTA CRUCEM.

C3__17 Nunc figite alteram hic crucem,

quando una non ferret duos.
De hac me prope hunc suspendite,
ut si supersit halitus
extremus, ore colluam,
ut conspicer numquam satis
huic ante visum lumini
vultum. Trahas ad te meum,
benigne Iesu, cor, trahas
sic ad te anhelans, ut meis
includier praecordiis
ulterius haudquaquam ferat.
Creberrimis nam e corpore hoc
in te salit singultibus,
vellitque rumpitque ilia.
O vos, satellites feri,
hac este mites re mihi,
justo elevatam stipite
me illo frui permittite,
quantum licebit, quamdiu
isto licebit spiritu.
Manibus manus et vultui
vultum, ora jungite oribus,
nec me cruor complectier
illum vetabit. Si imparem
me creditis, facite parem :
aequate membra funibus.
Hic hic Procustem vincite.
Nec curo, quo fruar modo,
nil triste mi contingere,
illum modo attingam, potest.
Si non rapi huc me fas vetat.
Sed fas quidem vetat ream
cum insonte, culpis obrutam
cum innoxio, servam cum hero,
me tam malam cum tam bono,
me feminam, heu quam feminam,
caeli, solique cum arbitro
componier, vah, simplici :
ecquem furorem nunc furo ?
Desipere quis me tam sinit,
sperare tale ut audeam,
spectare quod nec angeli,
nec quispiam caelestium
metu absque maximo potest ?
Satis superque sit mihi,
quod detur amplecti hanc crucem,
quae sola tantum inter meos
justos dolores et mala
miserae mihi est solacio ;
a qua prius non eruar,
quam te tuus, quam me meus

pulsus relinquat spiritus.
Qui, si sequi des, quod velim,
ut nihil magis, quoquo iveris,
te vel petentem sidera,
tel vel petentem Tartara
aequis sequetur passibus.

## QUARTUS ACTUS.

JOSEPHUS ARIMATHIAE, NICODEMUS, CENTURIO.

JOSEPHUS.

C4__1 Nulla re usque adeo hominum animos devincias,
quam si illos, ubi eorum necessaria opera
non est, aliquo beneficio praeoccupes,
salutes, munereris, vel aliter pares.
Tum, si quando opus erit, paratos illico
inveneris, magisque promptos quam si ubi
res exiget, tunc magno parare occeperis.
Quod si alias umquam nunc vero expertus fui,
namque levibus nostrorum hortorum fructibus,
donisque inemptis praefidem saepissime
antea sum demeritus, ita ut facillime
nunc ab eo, ut more nostro, tumulo conderem
hujus prophetae corpus, impetraverim.
Sed video Nicodemum opportune : "Huc ades."
Nic_ Non possum. Alio me mea vocant negotia.
Jos_ Quo, quaeso ? Nic_ Non dicam. Jos_ Quasi infidum uspiam
me noris ? Nic_ Haud hercle equidem, at ubi periculum est
capitis, sat tuto nemini credi potest.
Jos_ Mihi potest, vel conjectanti quid siet ;
nempe hujus assecla hominis es. Nic_ Videlicet.
Jos_ Atque ego, ne dubita, me dissimilavi hactenus
nostratium metu, ut qui horum odia in eum satis
perspecta dudum haberem. Sed amor non sinit
me, quin eam, ac illi exsequier, in hoc quidem
mercatus istam nuper sindonem fui.
Nic_ Ego vero myrrham comparavi et aromata :
eamus ergo. Jo_ Eamus. Nic_ I prae, subsequar.

Jos_ Volo, quippe habeo litteras quas offeram
illi, qui militari stationi praeest.
Sed, commodum, centurio adest, tun' syngrapham
agnoscis ? Cen_ Quod ni agnoscam ? Nostri est praesidis.
Jos_ Percurrere si libet. Cen_ Opus est, quando jubet.
Jos_ Reddi mihi prophetae corpus istius
mandat. Cen_ Mandat hominis Hercules aequissimi.
Jos_ Tu illud mihi tegendi facies copiam ?
Cen_ Facio equidem lubens, ut quem verissime
summi praesagiam esse filium dei.
Nec id reliquit ambiguum aut dubium dedit.
Qui tanto in astra sublato egerit animam
clamore tota quo tellus exterrita
intremuit et tenebris aether inhorruit,
cui sic parentant, quem sic lugent omnia.
Dum crura frangeremus aliis, obierat
jam spiritumque emiserat. Tum illi latus
hausit mucrone miles unus quispiam,
costasque transadiit rupitque pectora
nimis scelestus ; tum, dictu mirabile,
vulnere ab ipso sanguis profluxit atque aqua.
Sed jam operi accingamur scalis haerentibus,
tu nitere ad sinistram, ego autem ad dexteram.
Verum jam, Nicodeme, te cadaveri
objice : subi dico, cave ne perfluat
in terram. Nic_ Sedulo fit, in amplexus sine
collabi sensim, ne me pondus deferat
deorsum, sine, dico, sine, comprendi satis.
Nec me gravabit hoc onus : devolvitur
terrae ; ipse paliuro aspera fossum caput
unge, unge pectus, brachia et manus Joseph ;
reliquum ego corpus malobathro hoc imbuam,
vidoque odore, conchis de capacibus.
Jos_ Age corpus ipsum his involvamus fasciis
tuis meisque. Nic_ Involvamus. Sed, heus, Joseph
posui novum sepulchrum in horto proximo
meo, quod excidi vivo saxo mihi
meisque amicis, in quod positus quispiam
nondum fuit, illuc deferendum hunc censeo.
Jos_ Recte, sublimem rapiamus, date huc manus.
Sic, o sic positum adfemur vale, vale, vale.
Nic_ Hoc tumulum prius emuniamus obice,
propiusque saxum hoc advolvamus ostio.